

Area F 2006

“Sight Recitation”

Prose Level 3

Esti tē nihil temerē, nihil imprūdentē factūrum iudicāram, tamen permōtus hominum famā scribendum ad tē existimāvī et prō nostrā benevolentia petendum, nē quō progredēris proclīnātā iam rē, quō integrā etiam progrediendum tibi nōn existimāssēs.

Namque et amicitiae graviōrem iniūriam fēceris et tibi minus commodē cōsūlueris, sī nōn fortunae obsecutus vidēbere- omnia enim secundissima nobīs, adversissima illīs accidisse videntur- nec causam secutus - eadem enim tum fuit, cum ab eōrum cōsiliīs abesse iudicāstī - sed meum aliquod factum condemnāvisse, quō mihi gravius abs tē nūl accidere potest; quod nē faciās, prō iūre nostrae amicitiae ā tē petō.

Postremō, quid virō bonō et quietō et bonō civī magis convenit quam abesse ā cīvilibus contrōversiīs? Quod nōn nullī cum probarent, periculī causā sequī nōn potuerunt: tū explorātō et vitae meae tēstimōniō et amicitiae iudiciō neque tūtius neque honestius reperiēs quidquam quam ab omnī contentiōne abesse.